

**Antimonium** generantur, est illud ipsum vitriolum, quod in terra, aquæ commixta, sive decocta & exusta, occultatum esse diximus. Et cum metalla reduci debent in ipsorum materiam primam, hoc est: Quando propius ad naturam metallicam accedere possunt, ad naturam vitrioli & Sulphuris reducenda sunt.

**DEMO:** Quare ex isto vitriolo metalla magis generantur, quàm ex alio sulphure aut alumine?

**GEBER.** Quia magis sulphureum est, & ad metalli naturam propius accedit. Ex cœlesti influxu, ipsius virtus quoq; habilior & promptior est, ut convertatur in metallum, consentiente & promovente loco minerali, sulphure & calore sufficiente.

**DEMO:** Quem mihi locum minerali naras?

**GEBER.** Saxum, in quo virtus mineralis indurandi & fixandi continetur.

**DEMO:** Quæ est hæc virtus mineralis?

**GEBER.** Virtus hæc cœlestis est, potestatem habens procreandi metalla, occultata in certo sulphure loto, & sicut argentum lucido.

**DEMO:** Nullum sulphur, quod lotum & lucidum sit, ego novi.

**GEBER.** Animadvertisti ne aliquando, arenae & saxis, quæ ex terra eruuntur, quasdam lucentes squamulas intermixtas esse, argento similes?

**DE.**